



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Cæsarivs M. 1. Novembris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

donare, certè omnes uno die veneretur. Atque hæc sunt diei hujus festa exordia. Tu, si sapias, numerum auge beatorum. Nam ex omnibus Divis nisi tu etiam aliquando unus es. heu! nullus es. *Ex Bat. & Mart. Rom.*

S. CÆSARIUS M. *i. Novembris.*

Præferbat jam penè ipsi Romæ sese
Urbs Anxur, quod, quem semel illa
omni ævo Curtium ostentarat, ipsa
quotannis exhiberet Italia. Nimirum
vidisses Kalendis Januariis lectissimum
quemque è juventute equo & armis
conspicuum pro salute Reipubl. è sub-
limi monte in undas ire præcipitem,
eoque facto nomen apud cives patris
patriæ promereri. Et verò sceleris hujus
irritamenta scelera erant alia, quæ sex
aut octo totos menses inter omnem
luxum & perulantiam impunè pi-
culares ejuscemodi hostiæ perpetra-
bant. Enimverò cum ei spectaculo in-
teresset CÆSARIUS ex Africâ redux,
palam facti atrocitatem verbis casti-
gavit. *Insaniam esse, urbem, ne olim
percat, in flore suo facere perire, & ut
serventur cives mali, optimum quemque
ex his occidere. quid hoc aliud esse, nisi
orco victimas sceleribus saginare, & sceleribus
velle Superos demereri? At non ita
sentire Dux superstitionis Firminus,
cujus impulsu Leontius vir consularis
tridua.*

triduanâ fame vexatum CÆSARIUM
ante curram ad Apollinis templū egit,
nudum illum sed paratissimum sic ad
luctam. Et victum se fassus est Apollo
precibus Divi, cum templo & sacrifi-
culo Firmino in terram dejectus se-
pultusque. Sed & Leontius post an-
num carcerem & inediam Athleta
Christi succubuit, priorq; CÆSARIO
pro fide mortuus est, qui demum cu-
leo insutus cum sacerdote Iuliano in
mare demersus est (ut ipse piè iactabat)
& natus celo & denatus. Certe haud
paulò rectius pro patriâ mori Iuventam
docuit. *Ex Lippeloo.*

COMMEMORATIO FIDELIVM
DEFVNCTORVM. 2. Nov.

Pietas lacrimas, Mariane, oculis tuis
obijcimus, ut his oratoribus tibi ex-
primamus veras & quibus opem non
hæc calamitati feras, nec jam pietas
extinguas ignes. Id porro quam merito
facias, ex annalibus D. Dominici discere.
Numeravit hic inter alumnos suos
duos præ cæteris pietati deditos, Ber-
trandum alterum, alterum Benedi-
ctum. Ille pro peccantibus, hic pro
ludentibus in flammâ piaculari pecca-
ta multum sollicitus, preces ac sa-
crificia quisque in suos congerenda
credebat. Et pugnabat Benedictus
magnis rationum momentis & ajebat,
illos,